

Messen-  
schmid

1787







19  
V I R O  
AMPLISSIMO IVRECONSVLTISSIMO  
DOCTISSIMO QVE  
GOTTLOB CHRISTIANO  
KLÜGEL

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI  
IVRIDICI IN ACADEMIA VITEMBERGENSI ORDINIS  
ASSESSORI ORDINARIO ET VITEMBERGENSIS  
SENATVS SYNDICO

OCCASIONE ANNI QVINQVAGESIMI  
Q V O

A. D. IIII. IAN. CIDIÖCCXXXVII

SVM MIS IVRIVM HONORIBVS

DECORATVS EST

IVRECONSVLTVM GRAMMATICVM

GRATVLAVNDVS OFFERT

M. IO. CHRISTIANVS MESSERSCHMID  
CIVICAE SCHOLAE RECTOR.

---

VITEMBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

(1787)



WIR O  
APPELLATIO IURE CONSTITUTIONIS  
BONIS SINGULIS  
GOTTLOB CHRISTIANO  
KLVGEL  
IURE TRIPLICE DOCTOR  
IURIS IN ACADEMIA IURIS PRAESIDI  
ASSISTENTE ORDINARIO ET VICE-RECTORI  
SEMPER  
OCCASIONE ANNO  
A. D. THE TAM  
SVMMS IURVM HONORIBVS  
DISCIPULVS EST  
THEOLOGICVM GRAMMATICVM  
DISCIPULVS  
M. D. CHRISTIANVS NIKOLAI  
IURE TRIPLICE DOCTOR







**S**ECVNDVM, propitio numine, concelebras, AMPLISSIME VIR,  
 academicum iubelaem. Alterum fuit, quo anno saeculi huius  
 tertio et tricesimo, Martii die tertio, rectore GEORGIO FRI-  
 DERICO SCHROEERO, sacrarum litterarum doctore et professore, or-  
 dinis sui seniore, et tum temporis decurione, alumnorum regioelecto-  
 ralium ephoro, inter academiae nostratis ciues relatus fuisti. TIBI  
 fortasse soli tam felici contigit esse, vt ex centum et quatuor, qui ciuium  
 academicorum numero, hoc SCHROEERO rectore, inserti fuerunt,  
 solus superstes fueris, qui, rectore FRIDERICO GVILIELMO DRES-  
 DE, sacros. theologiae doctore ac professore publico ordinario et alu-  
 mnorum electoral. ephoro, saeculi huius anno octogesimo tertio, ter-  
 tio Martii die, denuo huic studiorum vniuersitati nomen dares. In-  
 terea vix, ac ne vix quidem continere me possum, quin funestam, vt  
 olim TVI, sic etiam mei WEICKHMANNI memoriam recolam. Hic  
 quidem vir rectore eodem nostrae academiae nomen dedit, quo quo-  
 que numquam non vsus familiariter fuisti, at duobus tamen TE annis  
 minor nato amplius, quam decem superuixisti annos. Alterum iube-  
 laem academicum est, quo die IIII Ianuarii quinquaginta annis ante  
 ab iuridico nostrate ordine summos iuris vtriusque honores tulisti \*).

A 2

Vtinam

a) Ita legimus in actis academicis praesidente AVGVSTINO LEYSERO,  
 MDCCCXXXVII p. 62: D. IIII, Ian. P. P. O. dissertationem iuridicam de



Vtinam id felicitatis genus pari fratrum nobili, LEONHARDI LVDOVICI, pariter ac GODOFR. LVDOVICI, ex Menckenia gente, consanguinitatis nunc TECVM vinculo copulata, contigisset, quorum alter a. d. XXVIII Iun. alter a. d. XII. Iul. eodem anno, ordinis decreto, summis in iure honoribus ab patre, GODOFR. LVDOVICO, cohonestati sunt! Verum TIBI licet esse tam fortunato, ut optimus quisque TIBI acclamet: Haec dies est, quam sperauimus, nacti sumus, vidimus. Acclamant filius vnicus, vitam TVAM exprimens ac consuetudinem, gener TVVS cum prole sua, TVIS ex filia nepotibus, deliciis suauissimis, necessitudines florentissimae. Acclamat ordo, qui quinquaginta annis ante, TE iurium doctorem declarauit, et cui iam in sententiis dicundis assides. Acclamat ordo senatorius, qui primum TE suum in ordinem cooptauit, atque in quo per triginta fere annos syndici, quem iureconsulti latine actorem nominant, <sup>b)</sup> munere fungeris. Tandem et ego huic rarissimo laetandi argumento ob bina academica iubelaea acclamo. Summum numen vltiorem tranquillae et ad munera TIBI demandata rite sustinenda idoneis animi ac corporis viribus praeditae vitae vsuram TIBI tribuat, ut fatiscentem, quae iam iam ingrauescit, atque in cineres defluentem senectam ab omnibus, quibus consipata esse assolet, molestiis vacuum in dulcedine animi quiete agere valeas, nec nisi annis onustus et extremo confectus senio, placida morte occumbas. Ita DEVS TE ordinibus cum iuridico, tum senatorio, iustitiae iuxta et litteris, familiae ac nobis clientibus seruet perpetuoque contra funestos quosuis casus firmet.

IN iureconsultorum apud moratiores gentes honoribus et auctoritate describendis amplius, copiosus, grauis, ornatus est IO. MATTHIAS GESNERVS, in monumento, Gottingensium antecessori, TOBIAE IACOBO

*vi publica tuitus est Gottlob Christianus Klügel, Cygnea-Misnicus, 4 pl. quam panegyricum indixit Gebhardus Christianus Bastinellerus, P. P. O. seripione publica, qua, si testator alterum instituerit heredem, alteri vero usufructum totius hereditatis, vel*

*omnium bonorum, ligauerit, creditorem hereditarium utrumque, eodem libello, simul in ius vocare posse, probatum iuit, 2½ pl.*

*b) Conf. c. a. DVKERI opuscula varia de latinitate iuriconsultorum veterum, pag. 404, 11.*



**IACOBO REINHARTHO**, huius nomine vniuersitatis collocato <sup>c)</sup>. In his praesertim Romani bene instituerunt atque sapienter, vt dignitate summa essent atque auctoritate, qui Themidos sequebantur castra, et vel ius dicerent, vel leges interpretarentur, vel legum proferrent sententias, vel causas in iudicio agerent. <sup>d)</sup> Quam ob rem multorum apud hos leguntur elogia, quibus horum iuris societatem cumularunt peritorum, quo non solum eorum nobis satis superque confirmarent auctoritatem, verum quoque vtilitatem. **ROMVLI** nepotum disertissimus, **CICERO**, cuius iurium scientiam olim noster **BROKESIVS** eximie collaudat <sup>e)</sup>, satis pronunciat grauitur, sine dubio iuris scientis domum ciuitatis oraculum omnis esse, <sup>f)</sup> similitudine ab pythio **APOLLINE** petita. Nemini profecto, qui vel romanorum antiquitates primis, vt aiunt, degustauit labris, poterit ignotum esse, variis nominibus, iisdemque splendidissimis, iuris olim consultos honestatos fuisse, quae dignitatem eorum extollunt pariter ac splendorem. Ab eodem oratore viri summi <sup>g)</sup>, amplissimi <sup>h)</sup>, eruditissimi <sup>i)</sup>, ab **IUSTINIANO** <sup>k)</sup> magnifici atque illustres salutantur, apud **LAMPRIEIVM** <sup>l)</sup> per-

A 3 ritissimi,

<sup>c)</sup> in eius biographia academica gotting. **IER. NIC. EYRINGI** studio edita Hal. MDCCCLXVIII. vol. I. p. 63.

<sup>d)</sup> de dignitate iurisconsultorum atque auctoritate apud Romanos egit **I. G. HEINECCIUS** in antiquit. rom. p. 65 seqq.

<sup>e)</sup> in dissertat. de **CICERONE**, iuris ciuilis teste atque interprete, speciatim de **CICERONE ICTO**, Vitemb. 1738. de **CICERONE**, iuris ciuilis teste ac interprete, speciatim in suis de inuentione libris, ib. 1739, de **CICERONE**, iuris ciuilis teste ac interprete, speciatim in primo de oratore libro, a cap. 1. vsque ad cap. 38. ib. 1741 habitis.

<sup>f)</sup> de orat. L. I. c. 45. Ad quem locum **STREBAEVS** ita commentatur: Magnifica similitudo est, ex eo ducta, quod vt **APOLLO**, sic et Iurisconsulti

respondere dicantur. Et pulcre ducitur exemplum a **Q. MVTIO**, non solum quia perquam consultus erat et senex, ac summorum hominum splendore celebratur, sed etiam, quod hominis praesens maiestas **SULPICIVM** et **COTTAM** mouere possit. Addit **HARLESIVS** **CICERONEM** pro **MVRAENA** c. 9. **HEINECCIUM** antiqq. rom. §. 33. libr. I. tit. 2.

<sup>g)</sup> de legibus, L. I, c. 4.

<sup>h)</sup> de orator. L. I, c. 45.

<sup>i)</sup> l. c. c. 39.

<sup>k)</sup> Prooem. instit. §. 3.

<sup>l)</sup> in **ALEXANDRO SEV.** cap. 69, et cap. 15. de hoc imperatore ita scribit. Leges de iure populi et fisci moderatas et infinitas sanxit, neque vllam constitutionem sacrauit, sine viginti iuris peritis et doctissimis et sapientissimis viris, iisdemque disertissimis, non minus



ritissimi, doctissimi, splendidissimi, clarissimi a VALERIO MAXIMO <sup>m)</sup>. Praeterea perspicuum est constatque inter omnes, in imperatorum versantes aulis iure consultos, excellentissimos, illustres, <sup>n)</sup> magnificos, amplissimos salutatos fuisse, quamvis sequentibus temporibus hi tituli, aliis, minoris etiam hominibus dignitatis impositi fuerunt <sup>o)</sup>. His adde nomina, quibus iurium scientissimi viri in corpore iuris decorati sunt, ut, aduocatorum, iustitiae sacerdotum <sup>p)</sup>, togatorum, scholasticorum, oratorum, disertissimorum <sup>q)</sup>, clarissimorum, clarissimorum eloquentiae numinum, patronorum, patronorum causarum, et quae neque casta, neque inania esse, pluribus ADR. STEGERVS exposuit <sup>r)</sup>, uti C. F. WALCHIVS iuris consultum antecessorem ex variis iuris civilis veterumque auctorum libris descripsit.

Ex his nobilibus, iurium datis interpretibus, cognomentis scholastici eximere, et, quid sibi velit, meditari mihi in praefens est. In primis Stoicorum imitaturi morem, unde vocabulum ductum sit, studiose exquirere volumus. Quod ex graecia petendum esse, atque ex nomine, eodemque graeco, σχολη, id quod bene exponit AVSONIVS, canens,

— Graio nomine schola dicta est,

Iusta laboriferis tribuantur ut otia musis <sup>s)</sup>:

flexum

minus quinquaginta, ut non minus in consilio essent sententiae, quam senatusconsultum conficerent, et id quidem ita, ut iretur per sententias singulorum ac scriberetur, quid quisque dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum, cogitandumque, priusquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur, de rebus ingentibus.

<sup>m)</sup> Lib. VIII. c. 12.

<sup>n)</sup> De hoc vocabulo agit C. F. WALCHIVS in libro, iurisconsultus antecessor, §. XXVIII.

<sup>o)</sup> Haec loci commendamus I. P. DE LVDEWIG vitam IUSTINIANI M. C. VIII. p. 181 et G. L. FAVDISI diss.

de titulis viri illustris, spectabilis, clarissimi, magnifici, excellentissimi, et amplissimi, olim aulicis, nunc etiam scholasticis, Lips. 1706 habitam, qua XXVI Maii eiusdem anni iura magistri sibi adseruit ac privilegia.

<sup>p)</sup> quid valeant, explicavit I. I. BÖSIVS in comment. de iurisconsultis, sacerdotibus iustitiae, Lips. 1739.

<sup>q)</sup> quid sibi hic titulus velit, descripsit C. F. WALCHIVS l. c. §. XXVII. et C. A. HEVMANNI praef. H. CONRINGI antiquit. academic. praemissam, pag. XVII.

<sup>r)</sup> in progr. de nomine aduocatorum honorificentissimo, Lips. MDCCCXXXV.

<sup>s)</sup> Id. XXXII, 6.



flexum constat. Interea hoc vocabulum in hebraeorum intrusum fuisse sermonem, atque ab syro interprete retentum, CAMPEGLIVS observauit VITRINGA <sup>1)</sup>, apud quos cum יהודים, tum אלהים legitur. Quare non est causa, cur cum hildesienſium ſacrorum antiſtite REIMANNO <sup>2)</sup>, tum graiorum σχολην, otium, tum latinorum ſcholam, ab hebraeorum יהודים, ſepulcro deriuemus, addita hac cauſa, quia ſepulcrum locus eſt, in quo ab omnibus quieſcimus negotiis, ſcholam vero frequentare, mortalium quilibet tenetur. Praeterea idem ille REIMANNVS <sup>3)</sup> ADAMO TRIBBECHOVIO <sup>4)</sup> adſtipulatur, poſt ARISTOTELIS obitum, THEOPHRASTI aeuo, ſcholae vocabulum ad ſapientum gymnafia primum translata, adfirmanti. Nonnihil antiquius videtur, ſi ſcholae respicias praefecturam, non THEOPHRASTI aetatem. Etenim cynicus DIOGENES EVCLIDIS σχολην, propterea quod ad litigioſas duceret diſputationes, χολην, bilem, vocauit <sup>5)</sup>. Verum SOCRATIS diſcipulus, atque PLATONIS aequalis EVCLIDES fuit, inter quos et THEOPHRASTVM ARISTOTELES interiectus eſt. Idem DIOGENES gallum pennis denudatum εις την σχολην in PLATONIS ſcholam attulit; hic, ait, PLATONIS homo eſt <sup>6)</sup>. Accedit, quod, quum ARISTOTELES ad Macedoniae regem, PHILIPPVM, vt ALEXANDRVM inſtitueret, profectus eſt, XENOCRATES σχολαρχης της εν Ακαδημια σχολης, academicae praefectus ſcholae fuit <sup>7)</sup>. Ipſe etiam ARISTOTELES, XENOCRATEM imitatus, εν τη σχολη leges tulit <sup>8)</sup>. Obiit PLATO olympiade CVIII, THEOPHRASTVS XIII, ARISTOTELI in ſcholae ſucceſſit regimine <sup>9)</sup>, at illorum tamen vixit temporibus, quippe qui quoque audiuit PLATONEM <sup>10)</sup>. Antea vero loco nominis σχολης λεισχων vocabulum adhibatum fuiſſe, APOSTOLIVS confirmat <sup>11)</sup>, το παλαιον, ait, α καθεδρα οι τοποι, εν οίς εωθασι αδροιζομενοι φιλοσοφειν λεισχα εγκαλουτο

1) in ſynagoge vetere, p. 137.

2) in notis lexico STOCKII hebraico adſcriptis.

3) in introduct. in hiſtor. vocabulor. I. L. haſtenus neglectam ab eruditis et pro re deſperata habitam, p. 98.

4) de doctoribus ſcholasticis, pag. 7.

5) DIOGENES laert. L. VI. ſ. 24.

6) DIOGENES VII, 40.

7) Id. V, 2.

8) Id. V. 4.

9) Id. III. 2. V. 36.

10) Id. V. 36.

11) apud TRIBBECHOVIVM pag. 7.

ex SYDA ſub voce λεισχη.



το' οὕτω Φησι καὶ Ἱεροκλῆς ἐν πρώτῃ Φιλοσοφουμένων. Cum apud Graecos, tum apud Romanos moris fuit, locos quosdam, vt, prata amoenissima, hortos, porticus, pylas, stationes, thermopylas, tabernas, tonstrinas, thermas, balnea, basilicas, omnia theatra §), officinas aerarias frequentare atque variis de rebus tempus ibi fallere sermocinando. Λεσχίας ΜΟΣΧΟΡΥΛΥΣ <sup>h)</sup> dicit, δημοσίους τινὰς τοποῦς οὕτως ἐλεγον ἐν Ἀθηναίς, ἐν οἷς ἐκαθίζοντο, πολλὴν σχολὴν ἀγοντες. PROCLVS in hunc HESIODI versum

παρ δ' Ἰ. Δι., χαλκεῖον θάκον καὶ ἐπ' ἄλεα λεσχίην

fic commentatur: τοὺς ἀλεεῖνους οἴκους οἱ πένητες κατελαμβάνον, ἐν οἷς συγκαθήμενοι ἐν λαλίαις ἦσαν· δηλον καὶ ὅτι λεσχίας ἐκαλοῦν τοὺτους: καὶ γὰρ ἐν Ἀθηναίς ἦσαν τοιοῦτοι τοποί, καὶ ὠνομαζόντο λεσχία ἐξήκοντα καὶ τριακοσίαι, καὶ ὅτι ἐδράτο τινὰ θεσμία περὶ αὐτοῦς, ἵνα οἱ λόγοι γινώσκται τοῖς συνιούσιν ἐπωφελεῖς. Philosopher as rhetoricae peritos artis in his sese aedibus, aut cum aliis sui viris ordinis, aut cum eorum adfectatoribus congregasse, ex HIEROCLE SYMPAS in voce λεσχίη refert. De poetis vnicum sufficit repetere de HOMERO exemplum, qui Cumam reuersus, ciuitatem celeberrimam, in senum passim conuentibus, carmina sua, quae fecerat, secum habuit, recitauit, colloquique suauitate, auscultantes in sui admirationem rapuit, et quum eorum viderit adplausum, eisdem eisdem oblectare carminibus, pergere non dubitauit. Quamquam, vti musis, ita et poetis et his conuentibus APOLLO praefes ac deus praefuit tutelarior, quare factum est, vt λεσχηνόριος, λεσχηνόριος, λεσχηνόριος cognominatus sit, at, VULCANIO auctore, tamen nescio, qua temporis et vsus communis iniuria hi conuentus in vitium abierunt, cuius causam PHIL. MELANCHTHON eam esse fatetur <sup>i)</sup> quoniam inter tunc temporis philosophos ipsos de rebus leuissimis plerumque agitabatur.

VERVM

g) IUVENALIS Sat. XI. 4.

h) περὶ σχολῶν p. 72.

i) in enarrationibus in HESIODI ἔργα καὶ ἡμέρας p. m. 104. De his leschis legantur scriptores ab I. C. WOLFFIO in curis philol. et crit. ad Aetium XVII,

comm. XXI, citati, interpretes AELIANI ad var. histor. II, 34. ROVSIVS in archaeol. attica I, 3. EZECH. SPANHEMIVS ad CALLIMACHI epigr. II, 3. DION. PETAVIVS ad THEMIST. AEGID. MENAGIVS ad LAERTIVM, p. 25. IS. CASAVBONVS ad THEOPHRASTI



VERVM de leſchis ſatis, nunc ad ſcholas, in earum ſubrogatas locum. Has ex graecis proueniſſe, AVSONIVS docuit, apud quos otium, vti verbum ſχολαζω otuari denotat, nec ſemper inertem et proſuſ otioſam laboris ceſſationem, quid? quod hanc ipſam paullo infrequentius, ſed potius circumſpectam tantum ab hoc illoue negotio vacationem innui, ex formulis, ex PLATONE, HESYCHIO, HERODIANO, ab SVIDA, aut ſaltem ab ſeptemuiris baſileenſibus excerptis atque repetitis colligimus. Adde tantum AELIANVM, apud quem legimus relatam <sup>k)</sup>, Siciliae tyrannum, HIERONEM, litteratiſſimum fuiſſe, quum otium, quod ei corporis imponebat imbecillitas, doctorum hominum ſermonibus audiendis tribueret. Idem de latinorum otium et otuari cenſendum eſt, apud quos idem valent, et, nec plane nihil, aut proſuſ male agere, ſed potius rite, et, vti par eſt, otium collocare, et requiem ſignant. Sic de PVBLIO SCIPIONE, teſte CICERONE <sup>l)</sup>, CATO ſcripſit, eum dicere ſolitum fuiſſe, numquam ſe minus otioſum eſſe, quam cum otioſus eſſet. Iterum CICERO de ſe atque de aliis pronunciat: otioſi ſumus, et iis de rebus agimus, quae ſunt etiam negotiis anteponenda. Sic, vt alios latinos omittam, cum, num muſarum OS, PLINIVS ad SVRAM: et mihi diſcendi, et tibi docendi, facultatem otium praebet (ep. 27, VII), ad MINVTIVM FVNDANVM: o rectam ſinceramque vitam, o dulce otium, honeſtumque, ac paene omni negotio pulcrius! — te ſtudiis vel otio trade. Satiuſ eſt enim, vt ATTILIVS noſter eruditiffime ſimul et facetiſſime dixit, otioſum eſſe, quam nihil agere, (ep. 9, I). Quare factum eſt, vt ab graiorum ſχολη, atque latinorum ſchola eruditorum multi voluminibus ſuis nomen indiderint. Si PLVTARCHVS NICANDRO opusculum περι ακουεσν dicat, την γενομενην μοι ſχολην περι του ακουεσν απεβαλκα σοι, ſcribit. <sup>m)</sup> Quod ad latinos, otium nobis fecit I. H.

A SEE.

PHRAſTI characteres ethic. περι αδολεσχιας, I. G. GRAEVIVS et IO. CLERICVS ad HESIODI εργ. κα ημιβ. v. 49. I. D. WOLF comment. de leſchis, locis ob conuentum veterum graecorum celebratis. Hal. 1755.

την ſχολην την εκ της αρεσσιας εις ακουεσματα πεπααιδευμενα καταδεμενος.

l) Offic. L. III. cap. 1.

m) DIOGENES LAERTIVS L. X. in vita EPICVRI ſegm. 26. Διογενις τε ο ταρεσνις, ο τας επιλεκτουσ ſχολασ συνγραψασ. STRABO L. XVI. πλουτιαδης

k) V. H. XV. επει δε αυτη συνινηχθη ηησση, μουσικωτατοσ ανδρωπων ηγενητο,

B

STOIBO



A SEELEN, quippe qui in peculiari commentariolo hos libros descripsit <sup>n)</sup>. Ab hoc otio scholae nomen repererunt, quae, uti HADRIANVS VALESIVS <sup>o)</sup> eleganter inquit, generaliter aedificia dicuntur, ubi conuenire solent homines plurimi, aut studendi, aut praestolandi, aut conferendi, aut alterius rei gratia. Si quis vero est, quem offendat, scholas ab otio desidiaque nominatas esse, uti TH. HOBBSIVS, impius scholarum hostis, <sup>p)</sup> tradit, illi respondeat FESTVS <sup>q)</sup>. Scholae, inquit, dicuntur non ab otio et vacatione, sed quod caeteris rebus omiffis liberalibus studiis vacare pueri debent. Harum vero scholarum quae fuerit ratio, QVINCTILIANVS vna cum SENECA ac CICERONE exponunt. Etenim ille <sup>r)</sup>: studia sapientiae iam in actu suo atque in hac fori luce versantur, sed in porticus et gymnasia primum, mox in conuentus scholarum recesserunt. Ille <sup>s)</sup>: Haec nobis praecipere ATTALVM memini; quum scholam eius obsideremus, et primi veniremus, et nouissimi exiremus, ambulantem quoque illum ad aliquas dissertationes euocarem non tantum paratum discitentibus, sed obuium. Idem, inquit, et docenti et discenti debet esse propositum, ut ille proficere vellet, hic proficere. Hic tandem <sup>t)</sup>: Hic quum vterque me intueretur, seseque ad audiendum significarent paratos, primum iaquam deprecor, ne me tamquam philosophum putetis scholam vobis aliquam explicaturum, quod ne in ipsis quidem philosophis magnopere vnquam probaui. Quando enim SOCRATES, qui parens philosophiae iure dici potest, quidquam tale fecit? eorum erat ille mos, qui tum sophistiae nominabantur, quorum e numero primus est ausus LEONTINVS GORΘIAS <sup>u)</sup> in conuentu poscere quaestionem, qua de re quis vellet audi-

τε εγινετο καὶ Διογηνὸς τῶν περὶ πολιζο-  
τῶν καὶ σχολῶν διατιθεμένων ἐν φωνῇ. FLV-  
TARCHVS περὶ πολυπραγμο. Πολλὰ καὶ κα-  
λὰ θεαμάτων καὶ ἀκουσμάτων καὶ σχολῶν  
καὶ διατριβῶν παρελθόντες. CICERO  
tusc. quaest. I, 4. Itaque dierum  
quinque scholas, ut graeci appellant, in  
totidem libros contuli.

<sup>n)</sup> sub titulo, oia absque otis, li. e. schediasma de libris, otiorum nomine insignitis, Lubec.

<sup>o)</sup> ad AMMIAN MARCELLINVM, libr. XIII. p. 33. et libr. XXV. p. 442. edit. parif. fol. 1681.

<sup>p)</sup> in Leniath. c. XXXXVI. p. 314. edit. amstelod. 1668.

<sup>q)</sup> p. 212.

<sup>r)</sup> p. 1058, edit. Burmann.

<sup>s)</sup> epist. CVIII.

<sup>t)</sup> de finib. honor. et malor. I. II. p. 46. edit. wippel.

<sup>u)</sup> de hoc, cum philosopho, tum oratore,



re. Audax negotium, dicerem impudens, nisi hoc institutum postea translatum ad philosophos nostros esset — ARCESILAS instituit, vt ii, qui se audire vellent, non de se quaerent, sed ipsi dicerent, quod quum dixissent, ille contra, sed qui audiebant, quoad poterant, defendebant sententiam suam. Apud caeteros autem philosophos qui quae- siuit aliquid, tacet, quod quidem iam fit etiam in academia. Ex his locis ad testimonium citatis, adparet, scholam significare et locum, quo discendi docendique causa conuenerunt, et ibi habitas disputationes, et sectam. Atque hanc significationem etiam iuris adoptarunt consulti. Etenim PLINIUS secundus \*) CAIVM CASSIVM LONGINVM cal- sianae scholae principem ac parentem nominat, id quod etiam de aliis iure consultorum familiis dicitur, vt, de proculiana, irneriana, accur- siana, bartolina, cuiaciana, ramistica. Quenam ille fuerint, docent, qui iuris historiam scientiae contexuerunt, ex quibus, etenim eorum numerus grandis est, I. S. BRVNQVELLVM testem laudo. Sicuti etiam conuentus sapientiae atque exercitationes, ex graiorum consuetudine, scholarum nomen acceperunt, ita loci, quibus ius docetur, idem sunt nomen indepti. Floruerunt iurisprudentiae scholae Beryti, Constanti- nopoli, Romae conditae. Floruerunt scholae bituriensis, tholosana, parisiensis, bononiensis, quas, praeter laudatum BRVNQVELLVM, I. V. GRAVINA \*), I. G. HEINECCIUS \*), I. N. FVNCCIUS a), de- scripserunt.

SCHOLAE vocabuli virtute exposita, sub scholastici voce quae fit subiicienda potestas, nunc exquirendum est. Neque altius repetendam esse, C. A. HEVMANNVS b) putat, propterea quod vox est CICERO- NIS aetate iunior, QVINCTILIANI vero aetate celebratissima et vsus quotidiani. Verum quoque apud L. ANNAEVM SENECAM, T. PE- TRONIVM ARBITRVM, C. CORNEL. TACITVM, C. PLINIVM

B 2

CAE-

oratore, duabus prolusionibus com-  
menatus est I. G. HAVPTMANNVS,  
Gerae MDCCCLII.

x) ep. XXXIII. libr. II.

y) in origin. iuris ciuil. p. 101.

z) in syntagm. antiquit. roman.  
p. 32 et 255.

a) in vegeta L. L. senectute, p. 407.  
Adde AEG. MENAGII iuris ciuilis  
amoenitates pag. 132 H. CONRINGI  
antiquit. academ. p. 18. 230. 21 edit.  
C. A. HEVMANNI.

b) in praef. A. TRIBBECHOVI de  
doctoribus scholasticis libro praemissa  
pag. VI.



CAECILIUM secundum minorem, C. SVETONIUM TRANQVILLUM, A. GELLIVM legatur, abs quibus fortasse auctores, quos patrum veneramur titulo, petierunt. Vti ab schola scholasticus genus ducit, ita, quidquid cum litterarum ludo commercium habet, declarat. ARBITER ingentem scholasticorum turbam in porticum venientem vidit <sup>c)</sup>, quid hic sibi valet, quam multitudinem puerorum aut iuuenum scholas frequentantium? Huic eandem vim vocabulo attribuimus, apud FABIVM legentes <sup>d)</sup>: cognoscere, et praecepta viuendi perdiscere, et in foro nos experiri potuimus, dum scholastici fumus. Idem FABIVS hanc de rebus, quae in scholis explicantur, adhibet vocem, vt de scholastica materia <sup>e)</sup>. Ita PLINIUS scholasticam legem <sup>f)</sup> explicat, quod, CELLARIO interprete, forsan vsu scholarum receptum fuit, vt vnus tres fabulas aut controuersias daret, siue magister ad elaborandum, siue discipulus, quem ordo tangebatur, elaboratas, tamquam specimen ingenii atque industriae. Scholae quoniam officinae sunt, ex quibus eruditi prodeunt, scholasticus quoque litteris deditum notat. TRANQVILLVM, qui emere agellum vult, scholasticum nominat PLINIUS <sup>g)</sup>. Sic etiam IO. VORSTIVS scholasticum eruditum, litteratum, bonorum auctorum non expertem interpretatur, si SVLPITIVS SEVERVS scribit: scholasticae, Galle, defendis gentem tuam — quia scholasticus es — cum sis scholasticus, hoc ipsum quasi scholasticus artificiose facis — sedebat MARTINVS in sellula rusticana, vt est in vsibus fernulorum, quas nos rustici galli tripetias, vos scholastici, aut certe tu, qui de graecia venis, tripodas nuncupatis <sup>h)</sup>. In primis, qui eloquentiam, et docet, et exercet, scholastici titulus adscribitur.

DE

<sup>c)</sup> in latyr. pag. 5, conf. WOVVERIVM ad h. l.

<sup>d)</sup> p. 1110 edit. F. BYRMANNI, qui quidem in lectionum varietatibus colligendis multus est, at omisit tamen, quam L. M. GESNERVS in nouo linguae latinae thesauro protulit. Hic ex MS. pro viuendi dicendi legi maualt.

<sup>e)</sup> pag. 980.

<sup>f)</sup> ep. XX. lib. II.

<sup>g)</sup> ep. XXIII, lib. I. In editione

harum epistolarum rarissima, Neapoli CIOCCCCCLXXVI typis expressa, quam bibliotheca ienenfis academica asseruat, et quam C. B. LENGNIICH, geodanensium orator sacer in Vol. I. part. II. neuer Nachrichten zur Bücher- und Münzkunde p. 135 descripsit, scholasticus legitur.

<sup>h)</sup> in eius editione omnium, quae exstant, SVLPICII SEVERI operum, Lipf. 1703, pag. 291, 429.



DE scholastico, docente eloquentiam, agit, auctor dialogi de oratoribus seu de causis corruptae eloquentiae. At nunc, ait, adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, (qui rhetores vocantur.) Alio loco rhetores et scholasticos coniungit <sup>h)</sup>. Rhetoris atque oratoris voces idem valere, ERASMVVS existimat SCHMIDIVS <sup>l)</sup>, adeo, vt illa sit graeca, haec vero romana, nullaque inter rhetorem atque oratorem debeat admitti differentia. Aliter LAURENTIVS VALLA <sup>m)</sup>: Orator, qui causas orat vel in iudiciis, vel in concionibus, qui graece dicitur ῥήτωρ, id est, rhetor. Nos tamen rhetorem professorem rhetoricae vocamus, non oratorem. Mirorque cur in hoc tam facili perulgatoque nomine exponendo VICTORINVS errauerit. Declamator est, qui studens apud rhetorem, in conuentu scholasticorum fictam causam orat, id agens, vt in veris postea causis possit orare. Ipse quoque rhetor, et quicumque alius etiam extra scholam hoc ipso genere vitur, siue vt alios, siue vt se exerceat, declamator vocatur. Nonnumquam tamen more graeco reperimus poni, vt CICERO lib. 2 de natura deorum. Haec quum COTTA dixisset, tum VELIEIVS ego inquit incautus, qui cum academico et eodem rhetore congredi conatus sum. Nam neque indisertum academicum pertimuissem, neque sine ista philosophia rhetorem, quamuis eloquentem, rhetorem dixit vel oratorem, vel rhetoricum. Haec VALLA. Quantum inter vtrumque intersit, cum rhetorem, tum oratorem, G. quidem I. VOSSIVS docet <sup>n)</sup>. At I. G. WALCHIVS <sup>o)</sup> monet, inueniri, quod haec diuersa nomina non omni tempore tam sollicitate fuerint obseruata. Quamuis enim a prima litterarum aetate aliud egerit rhetor, aliud vero orator, tractu tamen temporum exsisterunt quoque, qui non solum doce-

B 3

bant,

d) c. XXXV. De huius dialogi auctore magna doctissimorum inest certatio. C. TACITO eum eunt adscriptum PITHOEVS, SALINERIVS. Ex contrario contendunt B. EBENANVS, L. PISIVS, PICHENA, VOSSIVS, BERNEGGERVS, BVCHNERVS, FABRICIVS. Horum vltima tria vna cum LIPSIQ VINCITILIANO adiudicant. Conferatur I. DE CALENÇAS Ver-

such einer Geschichte der schönen und andern Wissenschaften, P. I, p. m. 33. atque ibi I. E. KRAPPI nota.

h) c. XXXXII.

l) obseruat. ad PINDARVM Pyth. d. 9. p. 191.

m) elegant. L. III. c. LXXXI.

n) de natura et constitutione rhetorices, cap. I.

o) in parergis academicis, pag. 112.



bant, sed et in concione perorabant declamabantque. Sic **CVRIVS FORTVNATIANVS** <sup>p)</sup>: oratoris officium est, bene dicere in ciuilibus quaestionibus et persuadere, quatenus rerum et personarum conditio patiatur. Sic **MARIVS VICTORINVS** <sup>q)</sup> rhetor est, qui docet litteras, atque artis traditor est eloquentiae. Orator est, qui in causis priuatis ac publicis plena ac perfecta utitur eloquentia. Sic **SVETONIVS** <sup>r)</sup>: veteres grammatici et rhetoricam docebant. Sic **PLINIVS** de **VALE- RIO LVCINIANO** <sup>s)</sup>: Praetorius hic modo inter eloquentissimos causarum actores habebatur: nunc eo decidit, vt exsul de senatore, rhetor de oratore fieret. Itaque ipse in praefatione dixit dolenter et grauitur, quos tibi fortuna ludos facis? facis enim ex professoribus senatores, ex senatoribus professores. Tandem auctor dialogi de causis corruptae eloquentiae <sup>t)</sup>: Horum autem temporum disertis, caussidici, et aduocati, et patroni, et quiduis potius quam oratores vocantur. Quem ad modum non dicendi modo oratorem peritum esse, sed etiam virum bonum, **QVINCTILIANVS** ex **CATONIS** mente <sup>u)</sup> praecipiant et **CVRIVS FORTVNATIANVS** <sup>v)</sup>: ita romanae iuuentuti, quae ita sese eloquentiae tradidit studio, vt laudem ex ea sola famamque reportatura videretur, eiusmodi eligebatur praeceptor, cuius scholae seueritas, pudor in primis castitas constat, et abs quo mores primum, mox eloquentiam discit, quae male sine moribus discitur, <sup>w)</sup> vt **PLINIVS** <sup>x)</sup> **CORNELIAE HISPULLAE** auctor suasorque est. Hoc praeceptore romani iuuenes sua ingenia varia exercuerunt in eloquentiae studio. Aut tradebant ficta, vt, progymnasmata, declamationes, aut vera, vt orationes.

<sup>p)</sup> in artis rhetoricae scholasticis p. 53. in antiqua rhetor. latin. secundum C. CAPPERONNERI edit.

<sup>q)</sup> in exposit. in primum rhetor. CICER. p. 103. collect. laudatae.

<sup>r)</sup> cap. III. de illustr. grammat.

<sup>s)</sup> ep. XI. lib. III.

<sup>t)</sup> viros eruditos, adolescentibus omni litterarum genere erudiendis operam suam locantes professores appellare, SVETONIO sollemne esse. C. A. HEVMANNVS in praefat. A. TRIBBECHOVI libro de doctoribus

scholasticis praemissa pag. VII confirmat.

<sup>u)</sup> cap. I.

<sup>v)</sup> hanc QVINCTILIANI finitionem exposuit M. I. F. BRACHT in disp. Ienae MDCCCXXXIII habita de oratore bono viro, et IO. BUCHERVS in epistola ad G. C. BASTINELLERVM de oratore, viro bono, Vitemb. MDCCCLi edita.

<sup>w)</sup> l. c.

<sup>x)</sup> ep. III, lib. I.



tiones. Iuuenium minora exercitia *προγυμνασματα*, quae latini primordia dicendi, dicendi elementa vocant; maiorum ac prouectiorum erant declamationes. Declamandi genera tria fuerunt apud priscos pro tribus causarum generibus, etenim vel panegyricae erant declamationes, quae in demonstratio, vel suasoriae, quae in deliberatio, vel controuersiae, quae in iudiciali genere versabantur. A declamationibus suasoriis faciebant auspiciam, quia huiusmodi argumenta habentur facilia <sup>1)</sup>, sed controuersiae dignae erant maturo iudicio, in quibus et sententiarum acumen, et exquisitus quidam ornatus adhibebatur. Rhetor exedram conscendebat, ut sedens ad delectationis aucupium praefationem haberet, qua sibi auditorum conciliaret animos. Postea poscebat controuersiam et proposita materia vel arbitrio proprio delecta, causae genus exponebat rhetor, quumque totius quaestionis statum prodidissent, illam in partes diuidebant, et breuiter explicabant et dilucide, quo facto, ipsam aggrediebantur controuersiam, quum sibi aliquid ad excogitandum spatii sumissent. Verum non omni eodem tempore fuit eloquentiae species, nec eadem oratoriae ratio institutionis. Ante CICERONEM locos tractabant communes, eius aetate argumentum ex veritate petebant, quum modo in virtute praedicanda et vitio reprehendendo versarentur, modo ex historiarum monumentis, aut ex re, si qua forte recens accidisset, copiam sibi facerent dicendi laudando, vituperando, suadendo, dissuadendo, quae exercitationes CICERONIS tempore causae dictae sunt. Sed quum SENECA rhetor ingenio niteret, fictas sumebant lites, atque, quae nec facta fuissent, nec commode potuissent fieri, excogitabant, *πλασματα* has fictas causas nominabant, quas primus inuenisse traditur AESCHINES. <sup>2)</sup> In foro frequentes ac in iudiciis ipsum eloquentiae perdiscebant usum, ipsimet faciebant periculum et actione aliqua nobili eloquentiae specimen

<sup>1)</sup> sese fefellisse falsoque esse ostendit G. L. VOSSIVS in commentar. rhetor. pag. 28.

<sup>2)</sup> arceat ab scholis declamationes inutiles, quae non possunt accidere QUINCTILIANVS l. c. p. 980. Huc pertinet vocabulum scenae, quo auctor

dialogi de oratoribus vtitur, et quod LIPSIVS ita interpretatur: Apposite scenas appellat loca, in quibus luctata illa et personata eloquentia exercetur, velut per lulum. Sicut in scena fictae personae, fictae res, sic in scholis fictae causae tradebantur.



men edebant. Sed iuuenes, qui eloquentiae operam dabant et iuri civili, causarum patrocinium apud centumviros plerumque auspicabantur. PLINIVS <sup>a)</sup>: ad hoc perpauci, cum quibus iuuet dicere, caeteri audaces atque etiam magna ex parte adolescentuli obscuro, a declamando huc transeunt, tam irreuerenter et temere, ut mihi ATTILIVS nosster expresse dixisse videatur, sic in foro pueros a centumviralibus causis auspicari, ut ab HOMERO in scholis. Atque quum paucis tantarum ingenium sit, ut possit emergere, nisi illi fautor commendator, que contingat, olim moris fuit, ut magnae auctoritatis viro, vel duce, vel comite, adolescens forum iniret, primamque susciperet causam, saltem auspicio et consiliis talis viri coepit ostendi in publico. Adolescentes nobiles accusarunt viros, quod rudimentum forensis operae non solum laudis gratia subibant, sed et accusanti et damnanti pecuniae, honores aut magistratus dabantur, quae habuisset reus. Hic modus aetate CICERONIS fuit solennissimus, qui ait <sup>b)</sup>, sed quum sint plura causarum genera, quae eloquentiam desiderant, multique in nostra republica adolescentes et apud iudices et apud senatum, dicendo laudem adsecuti sunt, maxima admiratio est in iudiciis, quorum ratio duplex est, nam et ex accusatione et defensione constat. Quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata per saepe est. Illustrior et splendidior erat accusatio, quae rei causa publicae, aut patrocini gratia, aut paternerum inimicitiarum suscipiebatur. In huiusmodi causis saepe tractabant res suas diuinitus, et magna vis animi, magnus impetus, magnus dolor vultu, gestu, digito significabatur. Magnum erat flumen, grauissimorum optimorumque verborum, erant integrae sententiae, verae, nouae, sine pigmentis fucoque puerili, ut quibusdam non solum incendere iudicem, sed ipsi ardere viderentur.

Atque hoc modo P. FRANCIO auctore <sup>c)</sup>, declamandi se studio exercebant, et ad veram eloquentiam viam sibi per hanc umbraticam muniebant graeci illi veteres ac romani, quod ab adolescentia inco-

a) ep. XIII. lib. II.

b) de officiis II, 14.

c) in orat. de ratione declamandi p. 9.



tum, nullo unquam tempore intermissum, tam bello, quam pace, tam in negotio, quam otio, princeps ille gentium populus, et eloquentiae non minus laude, quam bellica virtute clarissimus summa semper industria ac vigilantia excolebat. Nec enim iuvenile hoc tantum exercitium fuisse censendum est. Viri et viri principes illud sibi operae iniungebant, neque hoc declamandi unquam studium intermittebant.

VERVM satis de hoc argumento, quamuis, haud inficior, adhuc plura de ritibus in declamationibus observatis promere possem ex QVINCTILIANO <sup>d)</sup>, SVETONIO <sup>e)</sup>, MANVTIO <sup>f)</sup>, SIGONIO <sup>g)</sup>, BARTHIO <sup>h)</sup>, CRESSOLIO <sup>i)</sup>, RVPERTO <sup>k)</sup>, VOSSIO <sup>l)</sup>, PROVSTIO <sup>m)</sup>, FRANCIO <sup>n)</sup>, CLERICO <sup>o)</sup>, KRIEGKIO <sup>p)</sup>, WALCHIO <sup>q)</sup>. Tantum de hac simulata atque umbratica eloquentia, quam declamandi rationem vtilissimam pronunciat QVINCTILIANVS, atque ad eloquentiam efformandam prope solam sufficere dicit, vnum ex multis exempli loco proferam. Est ISAEVS, cuius eloquentiam PLINIVS <sup>r)</sup> eximie collaudat. Erat natione graecus, verum quantum valeret, ex eo patet, vt ab extera gente Romani rumor eius penetraret. Quantam eo, Romam perueniente atque ibi perorante, PLINIVS captus sit, ex eo apparet, quod NEPOTEM ad eum audiendum inuitavit, faxeum ferreumque esse pronunciat, nisi hunc ISAEVM cognoscere concupiscat. Et quis ISAEVS fuit? adhuc scholasticus tantum, quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius. Nos enim, ait, qui in foro

d) in institut. oratoris variis in locis.

e) de claris rhetor. cum eiusd. interpp.

f) de legg. romanis c. XXI.

g) de iudiciis lib. II. cap. VIII.

h) ad CLAVDIANVM p. 76.

i) in theatr. rhetor. lib. III. IIII.

k) obseruat. ad VELLEI. PATERC. II. 43, p. 191.

l) de rhetor. natur. et instit. c. XVI. p. 109.

m) obseruat. in CICERON. libr. orat.

n) de ratione declam. p. 6.

o) art. crit. vol. I. part. 2. c. 17.

p) de sophistar. eloquentia p. 83, de inclaresc. mod. apud roman. p. 6.

q) in parerg. academ. p. 59. et in diss. de gymnasiis litterariis veterum roman. Ien. 1721.

r) ep. II. lib. III.



foro verisque litibus terimur, multum malitiae, quamvis nolimus, addiscimus. Schola et auditorium, ut ficta causa, ita res inermis, innoxia est, nec minus felix, senibus praefertim, etenim annum ISAEVS sexagesimum excessit. Atque ob hanc eloquentiam, quam ISAEVS in schola atque auditorio, non in foro exeruit, praeflititque, eum disertissimum iudicavit PLINIVS, titulus, quo iureconsulti insigniti fuerunt, et de quo vberius C. F. WALCHIVS agit \*). Ex scholis, ex auditoriis, in fora, in iudicia scholastici nomen transit atque, auctore CONRINGIO †), codex theodosianus pariter atque iustinianus hoc nomine ipsarummet causarum forensium patronum siue advocatum designare solet. Sed diualem hanc constitutionem I. pluribus exposuit GOTHOFRE-DVS ‡). Quare AVGVSTINVS §): Qui habent causam et volunt supplicare imperatori, quaerunt aliquem scholasticum iurisperitum, a quo sibi preces componantur, ne forte, si aliter petierint, quam oportet, non solum non impetrent, quod petunt, sed et poenam pro beneficio consequantur.

s) in iurisconsulto antecessore §. 27. pag. 101.

u) ad l. 2. C. Theod. de concussi. advocator.

†) in antiqu. academ. p. 203.

§) tract. 7. In Ioannem, conf. A. TRIBBECHOVIUM, l. c. p. 17.















179

V I R O  
AMPLISSIMO IVRECONSVLTISSIMO  
DOCTISSIMOQVE  
GOTTLOB CHRISTIANO  
KLÜGEL

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI  
IVRIDICI IN ACADEMIA VITEMBERGENSI ORDINIS  
ASSESSORI ORDINARIO ET VITEMBERGENSIS  
SENATVS SYNDICO

OCCASIONE ANNI QVINQVAGESIMI  
Q V O

A. D. IIII. IAN. CIOIÖCCXXXVII  
SVMNIS IVRIVM HONORIBVS

DECORATVS EST  
IVRECONSVLTVM GRAMMATICVM

GRATVLAVNDVS OFFERT

M. IO. CHRISTIANVS MESSERSCHMID  
CIVICAE SCHOLAE RECTOR.

VITEMBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

(1787)